

*Avertant animisque ferant lenimina pacis?
Forte per hoc tempus versans ambage Suburae
Appius errabat vates sacer. Hunc venerandum
Reddebat anni et vultus gravis et coma longa.
Qui surgente propolis luce per Argiletum
Sutrinisque frequens et per delubra Patulci
Ad plateas strepitumque fori succedere suescit.
Incessunt illum precibus variisque petitis:
— Quid dicat signum, vel quid minitetur hiatus.
Num cadet in barathrum praeceps urbs alta Quirini,
Orbis et ipse ruet totus sub pondere lapsus?
Quove piamento Superum placetur et ira? —
— Macti animo, — sic interpres — non fata sinistra,
Non dubii casus, non mors, haud ulla ruina!
Experiuntur enim divi quid robore possit,
Quid studio patriae valeat romana iuventus.
Roma fuit victrix, et stabit turribus alta,
Bellipotensque diu cunctis dominabitur oris,
Dum sacer ille locus, quem nunc immensa vorago
Occupat, et mentes urget velut omne diro,
Mox, positis curis, repleatur flore sacrorum...
Quo potis est populus valde, dicet. Hostia pinguis
Grata deis erit, ut primum libamen, et orbi
Portendet cuncto Rem Romanam fore summam. —
Dixit et obtutum clivorum in culmina vertit.
Obstupuere animi velato carmine vatis,
Et fixis oculis iuvenis vel quisque silescit.
Ut quum nocturno visu capimur subito, dum
Lumina victa damus somno, fessique iacemus:
Apparet quaedam species iam cognita menti,
Quam aut tablino depictam conspeximus olim,
Horrendam aut scena aut libris invenimus ante:
Consistit sanguis, formidine lingua cohaeret,
Et quasi solvuntur nervi, mens ipsa vagatur... .*

**

*Iamque forum late resonabat vocibus. Ardens
Iam sol lustrabat vicos, delubra, tribunal.
Res properae in plateis, tamquam vi turbinis actae:
Est olitor raucus, piscator et assecla mensae,
Et figulus, coquus, argentarius atque minister.*

(Ad proximum numerum).

MARCUS GALDI.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☩ ☩

BENEDICTO XV P. M.
quo die tertium init Pontificatus annum

*Ecce September rediit, ter ortus
ex die quo Tu, BENEDICTE, Petri
nactus es Claves, aperire doctas
ostia caeli.*

*Hac et in terra vehementer ardes
Pacis occlusum reserare templum;
at tuis (eheu!) mala sana Tellus
nisibus obstat.*

*Obstat, et caeco veluti furore
mota, qua late patet, horret armis:
montium summos apices et imas
undique valles*

*occupat miles, qui atque Martis
aera, quae iugem tonitrum profundo
dum sinu cognoscunt, cita, crebra, dira
fulmina vibrant.*

*Praeliis Terrae sua bella iungit
Aequor, horrendis gravidum siluris;
iungit, armatis ratibus volatu
pervius, Aether.*

*Gens enim gentem superare certat
arte ferali citius necandi
hostium plures; feritasque habetur
martia virtus.*

*Saepe, mulcendis sapienter iris,
verba Tu Pacis pia protulisti;
quae tamen voces sonuere surdo
(proh dolor!) Orbi.*

*Vix id orando, Pater, impetrasti,
captus ut miles multilusve posthac
sorte gauderet meliore, donec
reddita pax sit.*

*Pacifer Christi, BENEDICTE, praeco,
o tuis tandem monitis volentem
Mundus hic vecors, posito furore,
praebat aurem!*

*Caritas rursus regat aequitasque
omnium mores! Tibi longa demum
currat annorum series, perenni
Pace beanda!*

FRANC. XAV. REUSS.

De Donizone Mathildis Canusiensis historico

Bellum, quod ubique per Europam grassatur eamque partim in nosocomium, partim in coemeterium convertit, nonnulli ex religione nuncupandum duxerunt. Re quidem vera, — aiunt, — si feritas Turcarum, qui ut bellum sacrum, quod nonnunquam in gentes christicolas meditabantur et admovebant, nunc renovarent auxiliatum arcessita est; si aciem tormentorum bellicorum lutherana haeresis in templo catholica contorsit, ita ut aliquod miraculum artis et pietatis ita corruerit, ut frustra posteri homines desideraturi sint; si Belgarum et Gallorum tanta clades non solum inernum, sed inter levitas aliasque personas Deo devotas, facta est, nonne inde religionis bellum dicendum?

At iudicium nobis praematurum et illud fortasse nimio excessu prolatum existimandum videtur; nam, animis ferventibus, facilius partium studio obcoecamur, et vi passionis coacti, nimis iniusta admittimus. Tempore opportuno historia iudicium proferet. Quod si ipsa aliquando ex his bellis causam religionis non auferet, ne recursum quidem historicum homines celabit illius certaminis, quod octingentis post annis renovatum est, et ex Mathildis, Canusiensis illius Comitissae, morte, quae nuper post hoc octo saecula commemorata est, occasionem nanciscetur. Haec herois enim, quae in certamine inter Pontificem et Imperium, inter Gregorium VII et Henricum IV Germaniae imperatorem, strenua bellatrix scuto micans et gladio fuit, et in castra defensor iuris et iustitiae descendit, tam armis, quibus muliere corpus tegebat, quam opibus quas proiiciebat, nono kalendas Augustas

anno millesimo centesimo et decimo quinto post Christum natum, diem supremum obiit.

Mulier itaque, exemplum fidei et devotionis prorsus mirandum, non dubitavit quin suas opes ad extrema perduceret, usque eo quod aliquando pauperima facta sit, et pectore mucronibus hostium opposito, dux et norma pugnantium in religionis defensionem perhibenda. De his rebus loquuntur non latet, plurimos, ne dicam omnes, funditus praenoscere; ideoque haud ignotis iterum legentes esse defatigandos. Recens igitur mihi videtur paucos flores, — si tamen flores vocentur, — ex chronicis asperrimis Donizonis nectendos proponere. Quamquam enim ad notionem temporum et clericorum ipsorum labemadefactorum, praesertim si causa repetenda sit in *investituris*, quae vocantur, recursus ad aliorum opera, et quidem Sancti Anselmi episcopi lucensis, et Sancti Petri Damiani, nec non ad epistulas ipsius Gregorii necessarius videatur, tam certum est singulis lucem praetulisse, imo pleraque rerum gestarum unicum Donizone auctorem memoriae hominum prodidisse. Is namque res et praesens vidit, et quam meliori modo potuit versibus expressit. Neque est dubium quin, dempto Donizone, nimia obscuritate obsitam Mathildis eiusque progenitorum historiam cerneremus.

A progenitoribus enim narrationem exorditur noster, et de his et de Mathilde pleraque habet, quibus ceteri scriptores omnimode carent. Rudi sane, — ait historicus Muratori, — atque incomposito stylo rem ille suam peregit, ut sine dubio barbarum scriptorem ac ferreum continuo clamet. Verum quod illi inelegantia stylis defuit, veritatis amor, et quaedam sinceritatis imago satis supplevit. Acce-

dit, quod eorum quae refert Mathildis aetate peracta, et testis ipse fuit. Nam, ut omittam vulgo credi ipsum Capellani munere apud eamdem comitissam functum, quod quibus tabulis affirmetur non video, certe is, ipsa vivente, haec seripsit et rerum gnarus esse potuit, quippe qui proximus et carus Mathildi fuerit. Canusium autem, sive *Canossam*, fortissimum nempe ac celeberrimum illud Regiensis agri castrum, quod carum prae reliquis, tum ipsa comitissa, tum illius maiores habuerunt, Donizo ubique memorat, laudat; ibi enim iam viginti quinque annos is habitaverat, quum opus suum contexendum sumpsit.

Donizoni exaranti chronicam rerum, quae prae oculis habebat, voluntatem sese ostendendi litteris imbutum non defuisse appetet; et ex epistula argui potest, qua opus dominae suae obtulit, cui versum, quem Flaccus ad Octavianum Augustum scribebat, inscripsit:

Praesenti tibi maturos largimur honores;
nec non ceteros Vergilii Maronis versus ad eundem Caesarem:

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
et freta destituent nudos in littore pisces;
ante pererratis amborum finibus exsul
aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
quam nostro illius labatur pectore vultus.

Quin etiam idem coniici licet ex forma poetis numeris conscripta, qua res gestas exposuit, et artificiis, quibus eius temporibus humilitate litterarum nimis cognitis, artis nobilitati obviam ire studabant scriptores, vel parastichide (vulgo *acrostico*), vel verbis similiter desinentibus aut sonantibus eiusvis hemistichii, cum verbo hexametri postremo. Duo parastichides adsunt. Alterum habet prologus, monente ultimo versu:

Ipsius hi versus dant nomen, dantque parentum.

Et reapse primae litterae hoc distichon praebent :

Filia Mathildis Bonifacii, Beaticis,
Nunc ancilla Dei filia digna Petri.

Parastichis alter, in quo caput postremum debuerat conscriptum esse, inventur in praepostero versu, qui ait:

Officium dictant nostrum metra nomen et ista.

Litterae autem carminis, singulis post singulas compositis, haec proferunt:

Presbyter hunc librum fixxit monachusque Donizo;
ex quibus verbis quae vera de Domi-
zone dicenda sint hauriuntur.

Conclusio omnium, quae rudis poëta conscripserat, haec iam fuerat:

Finis adest libri; Dominum laudemus amici;

quae verba facili epigrammate transverti possunt hoc modo: *Gratias agamus Deo, nam tandem aliquando actum est!* Et ut vera fatear, hymnum ambrosianum canendum est, quum pedes extra silvam torquentur, quam cum Alighiero appellare liceat


selva selvaggia ed aspra e forte,
in qua
non frondi verdi, ma di color fosco,
non rami schietti, ma nodosi e involti;
non pomi... ma stecchi con tosco.

Omnia Donizonis carmina stridorem catenarum personant, quibus pontes versatiles castri canusini tollebantur vel labantur, et liquidam picem olenit, quam in obsidentium capita ex moenibus proici solebant. Hexametri densi procedunt, velut pedites germani, duce Henrico, aut velut Cadalvi et Guilberti copiae, quum, magnis post itineribus, arma non amplius micantia, sed pulvere et rubigine concreta facta erant. Integrum narracionem nullus passionis afflatus vivificat,

nulla lux pingit, aridisque rudibusque loquutionibus usquequaque refertam, vellut nervorum robore carentem, videtis. Idiotismis congaudet: utitur verbo « caraxare » pro verbo « scribere », forsitan « exarare »; utitur nomine « caballo » pro « equo », et « alemannica gente » pro « germana »; et sic de ceteris. Difficultates et violentias constructionis omittimus; nam facilius excipiuntur, quam mens difficultati numerorum exhibeat. Apage, quum vim aliquam ostendat, qua poëta baptizari et recognoscere valeat. Sic initio carminis, in quo arcem canusinam inducit gloriam historiae suae narrantem, huic prosopopeiae ne pupae quidem vitam infundit; difficultatem autem maiorem demonstrat, quum in hanc unam rerum formam insistens, Canusiam et urbem Mantuam inter se colloquentes et disputantes de Bonifacii marchionis corpore inducit. Donizo non abscondit se, posthabita Mantua, Canusiam praetulisse. Quandoque vero ostendit animi motum quid florū ipsi obferre, ita ut verba Iuvenalis: « facit indignatio versus », iure meritoque prolata exemplo nonnunquam demonstret. Ita enim eum affectus agitat, ut inde aliquid quod notetur exsurgat. Vergilius Mantuam suam dixerat: « Mantua dives avis », et laudem hoc modo ob abundantiam maiorum, nobilitate praeditorum, ei constituerat. Donizo, Mantuam adversatus, hemisticchium Maronis his verbis commutat: « Urbs avibus dives », et ita abundantiam anatum in paludibus mantuanis ridet.

(Ad proximum numerum).

JOSEPH SOLLINI.



... Nobilitas sola est atque unica, virtus.

IUVENTAL., Satyr. VIII.

DE MUSICA

Musica, cuius nomen a Musis esse deductum satis liquet, apud antiquos universa humanitatis studia designabat; deinde vero nomen modulationi numerū seu « notarum » speciatim tributum est. Hinc musica vulgo dicitur: « ars sonitum »; quae quidem vox ad quemlibet sonum significandum usurpatur; siquidem « sonus » rerum non viventium proprius est; « vox » est sonus animantium; vox prolata ad intimos animi nostri sensus manifestandos « locutio » dicitur.

Maior vel minor sonitum altitudo est « tonus »; tollere autem certis modis aut premere sonitus, certisque temporis mensuris producere aut corripere, id est quod « canere », vel « modulari » in musica dicitur. Inde musica a S. Augustino definitur: « Scientia bene modulandi ».

Cuius quidem scientiae obiectum amplissimum praebetur: musicae enim officium est vividos ac nobiles maxime dulcissimosque animi nostri affectus selligere, eosque per sonitum ministerium exterius manifestare. Itaque gaudium, voluptas, luctus, tristitia, spes, audacia, timor, ira, patriae amor, familiae blanditiae, religionis cultus, etc. per musicam exprimuntur; cui, naturali quadam propensione, tamquam affines artes sociari interdum solent cantus, mimica, chorea.

Quod si inquirere velis in quo differat musica ab aliis artibus, tum circa rei substantiam, tum circa formam id fieri invenies. Materia musicae propria sunt sonitus, prout supra dictum est; eius autem forma specifica est « exaltare », hoc est varios animi nostri affectus ad

supremum gradum attollere. Sane, unaquaque ars, pro ratione sua ut istos exprimat moveatque affectus in hominibus studet; ast musica obtinere idem satagit modo magis directo vehementique. Exemplo res illustretur. Pictor, sculptor, architectus... moeroris speciem mente conceptam per materiam, formam et signa propria exprimit. Age eandem rem a musico clare spiranterque exprimi; tum vero fletum et gemitus audentium quisque compescere nequibit.

Species igitur et forma musicae absoluta atque perfecta in humanorum affectuum exaltatione habetur; cuius quidem expressio et perieunda item ac praepotens obiicitur ad similes affectus in eorum, qui audiunt, animis excitandos. Musica namque non tantum movet, sed homines flectit ac rapit; quemadmodum optime monuit Cicero: (1) « Assentior Platonis, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi modos; quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem »; bonam scilicet, vel pravam.

Quamquam expressio, seu locutio musicae propria, est vaga maxime, genericā, indefinita. Musica enim ad mentem directe non loquitur, sed ad animi affectus; per se non docet, sed movet. Inde fit, ut et delectabilior et pervulgator ceteris artibus musica floreat. Aliis verbis, quum musica per merum sonitum ministerium affectus exprimat modo universalis seu indefinito, scilicet non laetitiam vel moerorem istius vel alterius hominis, sed moestitiam et moerorem ipsum absque determinatione, omnibus semper et ubique placet. Omnes namque homines semper et ubique secum ferunt praeteritae vitae laetas vel

tristes quasdam affectiones, quas musica per naturalem suggestionem excitat. Itaque musicam adhiberi videmus in pace et in bello, in conviviis et funeribus, domi et ruri, in mari et in montibus, in sacris et profanis, imo fere semper ad ceterarum artium ornamen-tum assumi. Ergo definitur musica: « Ars exprimendi et exaltandi humanos affectus per rhythmicam numerū modulationem ».

*
**

Quibus autem signis musica manifestatur?

Musica a quovis signo articulato, seu a locutione, per se abstrahit; quapropter « signa manifestativa » huius artis propria sonitus sunt, non verba.

Sonitum significatio tota naturalis est, nulla conventione coaretata, ac proinde captu facilis rudibus quoque et imperitis. Etenim quisque nostrum, natura ipsa duce, lento gravique tono didicit moerorem aliis manifestum facere; tono autem celeri et acuto suam laetitiam.

Quin imo bruta animantia sonitum locutionem discriminatione quadam percipi dici possunt; ac proinde quaedam ex iis musica delectari cernimus. Quod si quaerat quispiam connexionis rationem inter sonitus et animi affectus, haec reponenda videtur in mira, arcana licet, conformitate sonitum ad aures et ad humani cordis physiologicā struc-turā. Hac de causa diversi sonitus diversimode immutant potentiam sensitivam; diversa autem auditus sensatio diversos movet animi affectus; diversa animi affectio diversa excitat phantas-mata, quae diversimode praecordia com-movent.

Etsi vero sonitum cognitione a natura manet, studio tamen atque usu magis

(1) *De legibus*, 11, 38.

magisque perficitur. Peritia igitur musici in eo est, ut obviam sonitum significationem adnotet; eorumdem quantitatem et proportionem ad nervos auditivos diligentissime discriminat; connexionem inter gratam auditus perceptionem et motus seu affectionem cordis intueatur, ita ut eximiam illam speciem et formam, quam auctor sibi adumbravit ceteris dilucide manifestare valeat. Hoc opus, hic labor et ingenii dexteritas.

Non enim sufficit ut sonitus sibi invicem tantum succedant, sed est necesse ut ex iis oriatur multiplex quid itemque unum, et iucundum, et aliquam rerum formam ostendens; quod a « rhythmico » efficitur, hoc est a symmetrica diversorum sonitum distributione, seu proportione inter variam gratamque dispositionem pausarum, et durationis numerum. Inde rhythmus merito habetur velut « anima » musicae. Ex rhythmino autem sonitum sibi succendentium ordine « melodia » prodit: duo aut plures melodiae, unitae simul, « harmoniam » efficiunt. Scilicet, iam primum in artificis animo insedit species quaedam, eximia forma; postea ei aptatur vestis exterior, quae simplex erit si « melodia »; ornatior vero et magis implexa, si « harmonia ».

* *

Restat ut de potenti musicae vi ad animos instituendos aliquid peculiariter dicamus.

Musicam in nobis duplex generat oblectamentum, alterum sensitivum, spirituale alterum. Primum est iucunda auditus temperatio praecordiorumque commotio, prolata ex undis, seu radiis sonoris, coaptatis et comparatis cum fibris acustici nervi secundum certas physiologicas leges, quas mathematica quadam distinctione prae ceteris Hel-

moltz statuere conatus est. Si proportio haec, sive per excessum, sive per defectum, desit, ingrata habetur sensatio. Alterum, idque nobilius, ad animam, hoc est ad nobiliorem hominis partem, pertingit; quae, imaginatione opitulante, ex sonitum significatione ingentem capit iucunditatem. Hoc duplex oblectamentum simul habetur in homine propter naturae unitatem; indeque explicantur emotiones et raptus, mentis elevationes, suavis praeteritorum remniscentia, novarum cogitationum cumulus; una, fere dicam, congeries nova imaginum, contentionum, affectuum. Praecinente musica, quae praesentia sunt oblivious, et ad futura, atque ad ea quae praeterierunt trahimur indicibili propensione et suavitate.

Ex quibus facile quisque intelligit quanta et qualis sit musicae vis et efficacia vel ad iuvenes, imo eos praesertim, recte instituendos.

Neapol.

G. LEPORE.

De rationibus quae ad nobiliorum linguarum cognitionem facilius ducant⁽¹⁾

Secundum, quod a linguarum studiosis postulavi, hoc erat: Intelligere linguae addiscendae idiotismos, ex quo fonte manat praecipue elegantia. Sine idiotismi enim sive φράσεως observatione, grammaticae quidem loqui et scribere licet; nunquam vero graece in lingua graeca, latine in lingua latina. Recte ex. gr. dico latine: « Facio verba »; at « habeo verba », perperam. Contra, « ha-

(1) Cfr. num. sup.

beo orationem » probe dicitur; at « facio orationem », inepte. Qui igitur ad hos linguarum idiotismos non ducuntur, vitioso sermoni adsuescunt, stylo horrido et male consutae orationi et iocis aculeatis, et indignationi ansam praebent.

Suadebam tertio, ut vocum proprietates et leges intelligere satagerent linguae alicuius tyrones, iuxta quas in structuram coeunt et puram orationem efficiunt. In quibus desudant sedulo famosae istae partes cuiuslibet linguae grammaticae, etymologia et syntaxis. Sunt qui contendunt linguae tyrones regulis grammaticis non debere fatigari, quum inepte ac praepostere ab illis postuletur ratio, cur sic loquantur, quum nondum loqui didicerint. Verum, ut ut est, qui usui se committit et sine regulis ad libitum loqui incipit, semper nutat, et Prisciani tergo inequitat, id quod grande capital merito censeri debet. Sane grammatica, quam homines invexerunt quando observarunt quae nam in loquendo apta, quaenam autem inepta essent; ut ista imitari, haec autem facilis vitare possent, clavem tenet et clavum, estque fundatum et nutricula ceterarum disciplinarum. Romani ipsi, quos ex Suetonio colligere in proclivi est antiquitus hanc artem parum curasse, melius edocti, in tanto honore illam habuerunt, ut Luctatio Daphnidii, insigni grammatico, ducenta millia nummum donaverint. Ut Amphicytones Graeci Apollodorum grammaticum maximi fecerint, auctor est Plinius. (1) Excelluerunt in hac disciplina Didymus, quem summopere commendavit Macrobius; Antonius Enipho, cuius scholam M. Tullius post forensia negotia frequentabat, etc. Imo Iulius Caesar,

(1) Lib. vii, 37.

inter armorum strepitum et bellicos tumultus, ad Ciceronem scripsit libros de analogia, sive de recta loquendi ratione. Qui quidem Cicero grammaticae latinae necessitatem his verbis ostendit: « Ut latine loquamur,.... videndum est ut et verba efferamus ea, quae nemo iure reprehendat, et ea sic et casibus et temporibus et genere et numero conservemus, ne quid pertubatum ac discrepans aut praeposterum sit ». (2) « Necessaria est haec disciplina pueris, iucunda senibus, duleis secretorum comes, quae vel sola omni studiorum genere plus habet operis quam ostentationis », inquit Quintilianus. Idecirco apud antiquos soli grammatici omnium scriptorum censores et iudices fuerunt, qui ideo critici dicebantur. Nam non sufficit rerum tantum habere rationem, sed etiam verborum. — Sed de hoc satis; progrediendum enim mihi est ad ea quae ulterius ducunt, videlicet ad copiam, usum et promptitudinem.

Iam dixi linguas triplici ratione exerceri posse: e vernacula in novam lingua, et vicissim ex nova lingua in vernaculam transferendo, eaque in familiari colloquio usurpando.

Hie vero duo veniunt in primis attendenda: quinam et quales seligi auctores; quomodo decenter exponi debeant. Profectus autem discentis utrumque monstrabit: ego quid sentiam paucis dicam.

Primum locum, aut ego fallor, sibi vindicant auctores illi, qui de rebus variis, iucundis intellectuque facillimis, stylo plano, puro ac fluido scripserunt in aliqua lingua absque hiatu et rupitura. Quando de variis rebus disserunt, multitudine et varietate verborum et phrasium non possunt non luxuriare,

(2) De Orat., iii.

secus ac illi, qui de uno atque altero negotio tantum scripserunt, nimis de re rustica, de re militari; hi augustinis locutionum limitibus facile coercentur, nam verba res ipsas, de quibus agitur, semper respiciunt, nec ingrediuntur scriptum, nisi a rebus inibi pertractatis invitata. Qui de rebus incundis intellectuque facillimis scribunt, viridioribus annis maximopere sunt ad palatum; his delectantur, hos Lubentius ipsa Lubentia imitantur, imprimis si stylus accesserit planus et fluidus cum lactea copia, qui aditum et abitum cuivis concedit facilem, ut legens nullibi haeret, sed libero pede quaquaversum eat.

Hos pone sequuntur auctores illi, qui ingeniosam elegantiam cum amabili aliqua pompa sectantur, de verbis gravissimis loquuntur, ubi selecta verba, figurarum lumina, sententiarum pondera micant *velut inter stellas Luna minores*. Tandem accedunt illi, qui verbis paucissimis, brevibus periodis, multa complectuntur, igneique et scintillantes ingeni acutissimos conceptus, stylo penetrante, concise quidem sed graphice exscribunt, ut subtilissimas auctoris *ideas* quasi pingere et oculis exhibere videantur, ut non immerito quispiam miretur tam paucis verbis tantam inesse vim et ἔμφασιν ut, suaviter iuncta annuente Lucina, exquisitam elegantiam emitantur. Quo forsan respexit Plutarclus, quando inquit: « Quemadmodum numismatis aestimatio et dignitas tanto maior est, quanto in minore massa plus valoris continet; sic orationis illius vis et acumen maius est, quae plurima paucis significat ». Quorum itaque profectus in aliqua lingua adhuc ultra mediocritatem non excurrit, his primi census auctores destinari oportet; aliis alios, qui pedetentim ad ingeniosae ele-

gantiae iugum acclivi tramite ascendunt. Et, ne hoc negligam, tyronis indolem pensiculatius scrutari fas est, et observare quo vergat, num paulo fusiū loqui et scribere amet, an vero paucis multa complecti gestiat; num plano atque humili stylo sit contenta, an vero operosiori seu grandiori delectetur. Innata enim naturae vis et inclinatio magni momenti est in omnibus negotiis; quam qui sequuntur, citius et facilius, quod volunt, assequi possunt, quam qui bellum illi indicunt dedita opera. Imo, omnia ista, quae a libero naturae laborantis ductu proficiscuntur, suaviora sunt istis, quae cum aliqua coactione et lucta expediri consueverunt, adeoque ingrata aliquam affectionem redolent. Ex quibus palam fit, viridiores annos rectius ac felicius in illis auctoribus exerceri, qui indoli illorum congruunt, quam qui multis ab illa absunt passibus; illos enim amant et facillime imitantur, hos contemnunt et aversantur. Proprium enim ingenium plane deserere, et alieno procul distanti se conformare, nae, istud difficultatem involvit maximum. Quod innuit Venusinus poëta, quem scrispsit:

O Imitatores, servum pecus, ut mihi saepe Risum, saepe iocum vestri movere tumultus!
(Ad proximum numerum.)

DOCTOR HAVER.

EX AMERICIS

*De feriis et de vacationibus
apud septentrionalis Americae gentes*

Dum haec scribo, sermo non admundum spectat meus ad paucos illos homines, quos Croesos recentiores appellaveris, quibus propterea feriae sunt perpetuae, et adeo, negotiis gravibus

valedictis, apud exteris gentes sunt divitiarum exemplum atque admiratio. Sed potius de operariis hic specialem loquor, vel de pueris, qui mercedibus mutuandis vitam agunt, vel mensis nummulariis adsidue inserviunt. Hos dixerim maximam nostrae nationis partem informare; quorum tamen quotidianum præmium id est, ut si iis placuerit, in singulos menses, parva quidem diligentia, haud parvulum parsimoniae emolumen-tum comparare sibi possint. Et ipsi operarii, quos humilioris subsellii dixeris, vel qui operam suam in fornacibus carbonariis passim præstant, primo adveniente vere, datusque temporibus, dummodo parvulam impensis suis rationem imposuerint, comparabunt sibi facillime feriarum dulcedinem et quidem longe ab urbibus. Quam magnum ergo interest inter nostros et multos aliorum populorum opifices discriben! Hi enim felicissimos se reputant, si in popinis graviter olen-tibus longas horas vinum ingurgitantes perimunt; nostri nil aliud querunt, quam liberum aërem camposque apertos.

Hinc habitatores urbium, quum pri-mum venit aestus, vix aliquam opportunitatem nanciscuntur, ex suis veluti carceribus egressi, magna festinatione, ad amoeniora loca contendunt, ibique citra dominorum voluntatem quindecim et amplius dies manebunt. Et quoniam complures ad eamdem domum pertinent, ita, ne opera ipsis commissa impedian-tur, mutua vice studioque composito, hanc sibi sumunt vacationem. Nec vir modo, sed uxor cum liberis hac libertate fruuntur. Et ipsi saepe officinarum arbitri vel societas adsunt, quæ, ne quis caritate rei familiaris adstrictus, otio hoc salutari aliquando prohibeatur, singulis quibusque hebdomadis, ex diurna opera mercedem levissimam detrahunt,

pecuniae copiam, quam ad ferias proximas tolerandas commodius suppeditabunt. Ab hoc autem onere nemo immuni-s esse potest. Adeo est apud nostram nationem gravis haec feriarum quaestio!

Hinc suo quiske ingenio civis sive publicus, sive privatus, rusticari debet saltem triginta dies. Est magistratus et orator legibus ferendis, est administer, qui tunc posita muneris sui persona, ferias auspicaturus, ad profec-tionis stationem, quam appellant, contendit. Illic vero quae confusio! quae magna hominum profecturorum multitu-do! Omnes itineris tesseram primo quo-que tempore habere pretio ad ostiolum nituntur. Sunt scribae, lictores, viatores, præcones, qui turmatim, et nulla habita personarum ratione, pedibus se premunt, urgenter illuc omnino spec-tantes ut ad esseda vi aquae evaporatae acta tandem perveniant. Et illic iuxta iter quot impedimenta! Sunt sarcinæ, sarcinulae, vasa, fasces, viduli et sacculi cum cibariis incondite, veluti in montem disposita, quæ sub ipsa profectione, om-nium impetum tardant, portas obruunt, transitus inaedificant. Tunc et vetuli currunt nimiā moram sibi increpantes, currunt et pueri, qui passibus imparibus parentes alacres sequuntur. Et mox fit magnum in proficiscentibus silentium. Sibilus vibratur per auram,.. proficisci-tur. Prosperum sit iis iter!

Sunt et alii ambulantes, quos hebdomadales diceres, qui sabbato de prandio, clausis officinarum ostiis, ad agros vel ad montes rusticaturi peregrinantur. Hi per totam diem sequentem piscantur, venantur, montem ascendunt, vel in medio luco sistunt, vel denique se se placide condunt ubi *sylva stat vetus nulla violata securi*.

Dolendum sane, quod omnia quæ va-

letudini maxime inserviunt, summo studio unice carentur. Hic enim cuncta commoda, altilia, ova, mala, vina, lecta, subsellia, aliaque id genus complura usque ad satietatem: at vero unum desideratur, quod hominibus ad sapientiam christianam informatis cordi esse semper consuevit, quidquid scilicet ad religionem excolendam pertinet. Quanto melius, fateor, aptiusque feriis autumnalibus genio suo solent suaviter indulgere Romani vestri, et ipse tunicatus populus, quos castella urbis adstantia hilares petere olim ipse videbam, ubi iucunde integrum diem festum transigere cupiunt; ita tamen, ut summo mane rebus sacris intersint, vel iter ita disponant, ut quo tendunt sacra officia possint explere.

Adest et aliud peregrinantium genus, qui quum iuvenes sint, se se « exploratores » appellant. Et ipsi, singulis diebus festis, si per tempus licuerit, ceteris omnibus posthabitis, altiora petunt, et animi relaxandi causa corporisque informandi inter armorum exercitia integrum diem procul a parentibus vel id aetatis pueris transigere consueverunt. Id novum ludorum genus ex Americis profectum, mirum in modum et Europam omnem pervasisse satis constat; confido esse factum ut hoc profanum exercitium, parce retortum, fuerit conservatum, et aliqua modo ratione sacris religionis ceremoniis summo mane solutis honeste informatum.

Sed antequam huic epistola fine tandem impono, hoc adiungam, quod mirum admodum videtur atque laudandum, apud Americanos esse publicae ipsius auctoritatis studium ut, praesertim qui vectigalibus praesunt, semel in anno rus contendere possint, ibique voluptuose atque opipare, ut ita dicam, per mensem maneant, quum impensae ex ipso annuo stipendio facile comparentur.

Adeo est innixum Americanorum animis hoc feriarum studium! Sed quidquid aptum creditur ad valetudinem instaurandam labile est, perpetuumque dilatabitur. Optime ut fama « mobilitate viget viresque acquirit eundo », et in hac re est insatiatus illis eundi ardor! Utinam hic amor progrediendi et sit in animis sanctificandis!

Unum insuper restat, ut obiter dicam apud nos fieri posse ut in latissimis illis regionibus, quae liberae adhuc sunt ac sine possessore, aliquando vel integrae familiae, simul compositae, vel solatae, ut olim coloni, aptiorem sibi locum curiose inquirant, ut ibi veluti in loco suo domum parentem commodioremque feriarum habitationem. Unum est ipsis optandum, unum in primis faciendum procurant, ut se se a latronibus defendant atque a belluis in silvis adhuc manentibus. Namque modo in Iuco deserto, modo in montibus alpestribus, dummodo procul ab urbibus, disponunt sibi repentinis mansiones omni apparatu ac supellestili exornatas, ut domi habere consueverunt. Ut castra videntur, et cives per unum vel duos menses vitam integre liberrimamque vivunt. Quam beatioribus illis hominibus in video dum

*Barbara me tellus orbisque novissima magni
Sustinet et saevo cinctus ab hoste locus!*

Quaenam est enim barbara magis tellus, quam haec ipsa magna civitas? Quis vere hostis, nisi aer gravis ac pestifer tamquam valetudini saevus; et in primis immensa tot rerum moles negotiorumque amplitudo? Atque tamen me his tricis quis aliquando explicabit?

Valete, quasque potestis ferias tecum et vos usurpare.

Chicagine, mense Iulio MCMXVI.

T. C.

Ingenuarum artium specimina

« DOMINE, SALVA NOS, PERIMUS! »

Quae tabula, notam Evangelicam scaenam hac inscriptione reddens, ab A. Die



CAPACCINI
ROMA

trich pictore quondam composita est tan-
taque laude haud iniuria celebrata, ut
late passim per orbem vulgaretur, no-
stris hisce diebus haud immerito revo-
catur, quum ob immanis belli rerum
omnium eversionem fluctibus haud mi-

nus, quam in Genesareth lacu Domini-
ni Apostoli, tumentibus atque mina-
cibus nos obruamur.

Stat vero aeternum in summa navi
Christus... Is, ut olim Petro, eius nunc
Successori cum universa Christiana Ec-

X.

PRO IUNIORIBUS

De humano dolore.

Homines, qui vitam ante Christum egerunt rebus exagitatam adversis, difficillima, quin etiam inextricabilis urgebat quaestio de hominum dolore. Quid et cur iste *daemon* immitis doloris, qui animos lacerat, corpora cruciat et nos, veluti umbra vindex, persequitur?

Quam solvere quaestionem ille unus aptus erat, qui dolorem in universam stirpem humanam immisit: Deus; propter hoc Eius Verbum, naturam hominis in dolore et peccato versantem, assumpsit, ut ipse homo, dolore confectus, hominum peccata redimeret. Jesus, inter alia quae vera mundo, tenebris cooperto, manifestavit, causam aperuit doloris humani, primus asserens omnia fieri vel permitti a Providenti Deo, cuius altum consilium in abscondito est et agit. Nos Iesum Christum ducem laeti et fidentes sequimur, Eius verbum, semen sanctitatis, credimus et in cordibus nostris devote servamus; ne importuni volucres illud comedant neque suffocent spinae! Sunt vero qui, Christo Regi Redemptori nostro obsequium denegantes, (pro his frustra Jesus descendit de caelis), vel asserunt Deum non esse, vel Eum iniustum faciunt, vel de hominibus nil curantem affirmant.

Et hoc eodem arguento innituntur qui Epicuri doctrinas sectantur, ad demonstrandum *deos securum agere aevum*. Liceat, prae multis, Ennium audire:

*Ego deūm genus esse semper dixi et dicam caelitum,
Sed eos non curare opinor quid agat humanum
(genus;
Nam si carent, bene bonis sit, male malis, quod
nunc abest.*

Sed facile consideranti occurrunt plures tantae impietatis confutationes. Nam primo, quisnam hominum iustus coram Deo et angelis suis, « si neque infans cuius est unius diei vita super terram? » (1) Omnes defecimus et adhuc quotidie deficitus: « si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est ». (2) Ne igitur caput extollamus sub percussione manu Dei, quasi ea quae patimur immerentes: forsitan et maiora meremur; ne iustus quidem conqueratur de suis incommodis, sed dolorem pro lavacro peccatorum, quorum expers nemo est, humili, patienti et hilari animo accipiat. Qui iustos defendendos contra Deum suscipiunt, iniusti homines sunt non amore erga eos, sed odio in Deum impulsi, quibus maxima sollicitudo est omnimode ex societatis singulorumque conscientia nomen Omnipotentis oblitterare.

Secundo, ponamus etiam hominem in modestis opibus suis acquiescentem, et hunc innocentem: ipse, cui facilis iucunda est in terris inhabitatio, eam diligit, hanc diligendo caelestem obliviscitur, caelestem obliviscendo Deum attingendum non curat, et hoc quis insanissimus dixerit maximum non esse omnium malorum? Deo potius, gratias quam plurimas et agere et habere debemus, qui infirmitatem nostram continuo regit et non fastidit, qui stimulo transeuntis doloris perennis gaudii in nobis cupiditatem fovet, et huius terrestris habitationis fallacem detegens pulchritudinem, ad aeternum regnum claritatis suae nos fortiter suaviterque trahit. Quum ergo nos dolor et afflictio angunt, oculos in caelum sublevantes,

(1) IOB.

(2) IOAN., Ep. I, 6..

memores simus eius quae nos manet patriae, ad exsulis instar, qui inter exiliis miserias amissam patriae laetitiam reminiscens, gemitum edit de praesenti fortuna.

Praeterea Deus a spargendis in viam servorum suorum spinis non abhorret, ut eorum virtutem probet et firmet, ne dicantur in deliciis Deo servire, deliciarum et non Dei amore fideles. Innumerabiles hoc exempla afferri possunt, sed, ut paucis absolvam, duo memississe bonum est. Nemo Iob ignorat malo spiritu dinus et atrociter vexatum, licet innocentem; accepimus quoque nascentem Christi societatem diurnas et cruentas passam esse persecutiones; adeo ut non erraret qui diceret in sanguine Ecclesiam nostram creuisse sive Iesu, sive martyrum; et tamen non solum quae ei ascriberantur facinora non perpetravit, sed immaculatum aevum in labore et oratione ducebat.

Denique Deus saepe iniquorum detinet expianda scelera iustis, qui se hostias pro fratrum redimendo peccato offerunt. Eorum charitas, et Dei misericordia laudibus una sunt extollenda; nam secus, iustitia Dei hominum iniuriae succensa, eos perderet.

Consideremus quoque quanti faciant homines dolorem! Nonne sunt qui dicunt esse tramitem gloriae iis, quorum vita semper labore et dolore fuit intexta? Alioquin Italiae terras exsul pererravit, et eius angustiae immortale conscripsere poëma.

Ex dolore virtutes, veluti ex fonte, diffluunt; si dolorem abstuleris, et prudentia, et charitas, et patientia exulabunt; cuius rei rationem si quaeris, invenies in illo Vergilii:

Haud ignara mali miseris succurrere disco.

Non ergo inique Deus dolore iustos afficit, neque hominibus non consultit:

Deus est, et providens est, et est ipsa iustitia; si nobis dolorem mittit, aequo animo feramus, iram sustinentes quam provocavimus: si benedicere licuit dona laetitiae offerenti, quare et benedicere calicem praebenti doloris non licebit? Dolor animae nostrae alas addit et firmat ad volandum in Deum, in quo, omni afflictione remota, pax et gaudium, amor et gloria perpetuo virescunt.

I. DE LUCA

Lycei Pontificii Seminarii Romani alumnus.

(Copiam fecit A. AURELI, prof.)

COMMUNIA VITAE

Qui vos, lectores humanissimi, puporum ludiero spectaculo, itemque personatorum ludionum insaniis, circulatorum praedicationibus, singararum futurae sortis carminibus, funambulorum denique periculis mecum comiter adfui, (1) ad equestrem circum eos hodie adducam, ut da bellua nobilissima domanda ingeniosi studii mirabiles effectus non sine aliqua voluptate contemplemini. Equum enim impigrum et generosum in angulo, aut in crepidine perangusta moderari ac flectere, negotium est viri, qui artis equitandi omnes norit articulos, ne, dum bellua immanis et ferox aut se saltu prorsum impellit, aut retrorsum volutatimque resilit ac magnae virtutis specimen in arco praefert, in terea solidi tantisper offendat, seque agitatoremque suum, si paulo sit indigentior, misere deiectum ac perditum eat. (2)

Namque, ut nihil est facilis nihilque pronius, quam effraenem verendum, aut

(1) Cfr. an. III, fasc. II, IV.

(2) P. GUINISUIS, *Alloe. I.*

sternacem equum, in amplissimo lascivientem prato, quoquo versum cursu ci-
tatissimo, sine ulla lege praecipitem
ferri, sursum deorsumque per amoenos
colles spatiari, non nihil procedere, ex-
templo repedare, in orbem circumagi,
ante, retro, in latus procurrere, recedere,
deflectere; ita nihil arduum magis aut
durius, quam lupatis coercitum asturco-
nem, ephippiis instratum, postilena pectoralique succinetum, habenis et loris
sustentatum, rectoris fraeno semper pa-
rentem, per augustissimum callem recta
semper ordinatimque pergere, ad virgulae
umbram ac sibulum illico mobilem
celerare iter; iam gradu tolutim expli-
cato belle, graviterque incedere; modo
fossas pernici saltu traicere; nunc po-
sterioribus arrectum pedibus insistere;
iam incitatius glomerari passum; mox
vastam cursura effusissima transvolare
planitem; repente fraeno monitum cur-
sum abrumpere, subito haerere vestigio;
rursum lacescitum calcaribus toto im-
petu ruere.... (1)

At vero exhibitis hisce in circo spec-
taculis, equorum magister, desultoria qua
etiam pollet arte et agitandi peritia, ita
se admirabilem praebet, ut Numidis
ipsis, quorum celeritate motuque corpo-
ris praecipua laus est, agilitatis palmam
eripuerit; siquidem tanta est membro-
rum vel dexteritate vel robore, ut equi
incitatissimi ephippiis nulla omnino cur-
sus intermissione tum rectus insistat,
corpusque circumagat, tum repente in-
sideat, dispositosque humi lapillos ad
unum inde colligat, tum etiam momento
desiliat resiliatque. (2) Igitur:

(1) ALBERTUS DE ALBERTIS, *De Tullii orat.*, par. II, n. 166.

(2) MAFFEUS., *Hist Ind.*, l. 1. —

Tuque vale, o premere et dociles qui fundere ha-
[benas]
Praecipis insueti, cante Magister, equi.
Qua se Caesarei via flexilis amphitheatri
Scindit in obliquos perrvia facta sinus.
Hic spumanter equi generosos ducimus orbes
Praecipitemque cita frangimus arte gradum.
Hic animare vago celerem iuvat impetu cursum
Anxiaque ambigua fraena rotare manu.
Interea inclamat, monet, increpat et pretiosa
Sollicitus vendit voce magister opem. (3)

A. FULCONIS.

ANNALES

Europaeum bellum.

Tertii Europaei belli anni initio, fe-
rocissimae conflagrationis campum et
amplius prolatatum invenimus. Non enim
Itali tantum, qui non semel inter Au-
striacorum hostiles turmas Germanos
vestes et arma mentitos compererant,
suosque cives in Germania adhuc mo-
rantes tanquam externum hostem factos
recens viderunt eorumque iura pessun-
data, die XXVII proximi mensis Augusti
Germanorum gubernio sollemniter decla-
rarunt, sese utpote aperte belligantes
cum Germania in posterum habituros;
sed, insequenti die, Rumeni Austrorum
imperio bellum indixerunt. Ea erat hu-
ius populi conditio, ut triplici illi foe-
deri et ipse accessisset inter Germaniam,
Austriam Italianaque olim inito ad
regna cuiusque ab exterorum aggressio-
nibus tutanda, simulque ad rerum sta-
tum, a praecedentibus pactionibus con-
stitutum, solidandum. Quum autem ho-
diernum bellum nullo praevio nuntio,
neque requisito a consociatis Rumenis
consilio per Austriacos inlatum est,

(3) FRANC. REMENDI, *Eleg. 1.*

Rumena gens neutrius partes sequi optimum sibi duxit; at animadvertisit insi-
mul Austro-Germanorum eam esse men-
tem, ut res, ad quorum tutelam foedus
sanctum fuerat, subverterent funditus,
novaque in unam suam utilitatem impe-
rantemque dominationem instituerent,
non sine magno Rumenarum rerum, vel
quae maxime necessariae essent, civitatisque
legitima studia atque curas re-
spicerent, in dies detimento. Quod
igitur pacis opus Rumeni fido animo
suscepserant quum irritum omnino eva-
sisset, immo duobus hisce dimicationis
annis palam factum esset, Austrorum
imperium tum internae cuique immuta-
tioni adversari, quae vitam popolorum
sibi aliquo modo subiectorum in melio-
rem partem verteret, tum nedium defen-
deret, Veneri suae eam libenter immo-
lare, Rumenus populus liberam agendi
potestatem sibi resumere decrevit iisque
sese adiungere, quos contra Austriacos
crederet unitatem suam propugnare tu-
tius posse, atque custodire.

Rumenorum itaque copiae, Transilvaniae Alpes transgressae, Hungaricam regionem invadunt; oppidisque Petro-
seny, Brasso et Kezdi-Vasarhely statim occupatis, hinc Orsova iam potitae esse
nunciantur, inde ad Temesvar magnis
itineribus tendere. Russi vicissim, Ra-
falowa capta, per longitudinem passuum
circiter millium triginta in Transilvaniam irruerunt; dum per Iablonitzza,
Sarmaticorum montium transitum, et
Kirlibaba, Austriacos a propulsione re-
tinent.

In ceteris vero orientalis frontis lo-
cis parum mutatae res apparent. In
Volinia enim Russis iuxta Stochod flu-
men Kowel tendentibus aeriter hostis
obsistit; pariterque in Galitia, Leopo-
lim versus, atque per Lypae cursum,

Turcarum agminibus in auxilium rece-
ptis. Huic fronti et Macedonica regio
addenda proxime erit, in quam Anglo-
galli et Itali, recens iis Thessalonicae
aggregati, profecturi videntur, et ubi
certe Rumeni cum Bulgaris manus con-
serent, contenduntque ut Turcae, illic,
uti diximus, pugnantes, ab omni com-
meatu aliove munimento prohibeantur.
Interim Turcae ipsi dicuntur Rumenis
bellum denunciassae.

Priusquam autem Russos deseramus,
addemus, eos, post operationum suarum
moram in Armenia atque Perside, qua
factum est ut Enver, illius principis,
exercitus nonnulla loca recuperaret, brevi
ad eas valide rediisse, et Mouch urbe
recepta, iter nunc facere ad Djarkbekir
urbem oppugnandam et Maelsdarasi
flumen assequendum, ad orientem Nou-
rik pagi in Euphratem influens.

Itali, quum toti in eo esse videren-
tur, ut in Tridentina regione terras a
fusis Austriacis desertas munirent, alias-
que lento studio, ut in Fassae Alpibus,
sibi passim obtinerent, necopinato atque
improviso impetu, instructis circa Go-
ritiam propugnaculis superatis, urbem
ipsam obtinent, indeque fines suos ad
loca usque producunt, quibus ex Magna
Valle nomen vulgo est.

Ad occidentem denique, Angli in op-
pugnatione sua rationabiliter digesta ad
Thiepval et Guillemont contra Teuto-
num subsidia insistunt; atque simul
praeter Pozières urbem lucusque Dell-
ville progrediuntur; Galli autem victri-
cem actionem suam ad Estrées-Belloy-
en-Santerre atque Lihons pandunt; ac
Virodunum versus, magis magisque in-
firmant Germanorum obsidionem, quos
imo ad defensionem hic illic redegerunt,
ut in dextera Mosae fluminis ora, Fleury
inter et Thiaumont, sylvamque Chapetre.

Quae initus hodie Septembbris mensis nova eaque, ut putamus, magni momenti allaturus fuerit, in proximo numero videbimus.

**

Sinarum res.

Yuan-Shi-Kai morte, quae contigit, uti nunciavimus, superiore Iunio mense, aiebant concordiam et pacem in Sinis iri restitutum. Eventus vero contraria docent. Rebelles enim, nedum acquiescerent, arma sumpserunt, in potestatemque suam Ki-Dain-Tiung stationem adduxerunt, quae coram Canton urbe posita est. Attamen, quum nihil ultra iam aliquot dies nunciatum sit, coniicere licet gubernii cohortes rationem de iis habuisse, vel certe progressus alios illos facere nequivisse.

Kalendis Septembribus MCMXVI.

POPPLICOLA



VACUI TEMPORIS HORA

Quod bellum caeco adhuc per Europam furore insanit, portenta profecto multa patefecit; nullum vero stupendum magis, quam quod, vere **mira mirorum**, primum locum in adnotatiunculis meis iure meritoque hodie sibi vindicat. Res Lutetiae Parisiorum agitur; quam in urbem sacerdos quidam Suebicus, exeunte Iulio proximo mense, primum advenerat, ad Gallicum collegam eo potiore argumento directus, quod ne verbum quidem hospitalis terrae linguae nosceret. Atvero Gallus vicissim Suebicam linguam ignorat: qua ratione igitur alter alterum intelligat? Inter sacerdotes duos huiusmodi discriben haud difficile componitur: latine ambo loquentur. Dicunt,

designantque crastinum diem ad urbis visitationem inchoandam: per telephoni autem auxilium de hora et loco quo sint conventuri consentient.

Driiin! Driiin!... Gallus ad ingeniosam transmittendae vocis machinulam appellat collegam, qui alacer adest, colloquiumque exorditur. At vix pauca verba commutata invicem sunt, quum necopinato tertia vox intercidit, graviter monens: — « Eheu vos! Non licet barbarorum sermonem per telephonum adhibere; desistite, ni velitis vos a loquendo prohibeam, imo ad iudicem denuntiem ».

— Barbarorum ergo sermonem latinum?... Gallus gallico ore et indignabundus tanta vi causam suam et latinae linguae apud cerberum accensum defendere aggreditur, ut latratus eius compescere videatur, si, eius loco, foemeina vox auditur, dicens:

— « Reverende domine, non licet aliena lingua uti ratione belli. Sed in hoc casu et paucō tempore, quae, loquere ultro latine. Attamen meum est officium audire sermones tuos ».

Tum Suebicus est, qui sua vice *stupet, obtutuque haeret defixus in uno*, scilicet in loquente instrumento, quasi in ipso cum voce transmissam et imaginem puellae singularis videre possit, quae nem dum barbarorum latinam linguam reputet, ipsam ita calleat, ut valeat cogitationes suas per eam aliquo modo expromere. Raram profecto avem et albam gallinam invenerat, partam... a bello, admiratione dignam atque gratulationibus, quibus eam Suebicus amplissime celebravit. Incognitae illi humilique foeminae gaudia quoque nostra hic publice testamur, quum o quam amara ex hoc casu calamо sponte succurrerint! Sed quisque latinitatem diligens — et vos qui legi

tis, estis omnes — per se ipse faciat, reputetque secum quounque tandem per venerious, quantumque urgeat iacturae tantae aliquod afferre remedium. Humanitas omnis hisce praesertim tristibus temporibus expostulare videtur, ut latinitas in regnum suum restituatur, ut quae vox diligentissimae atque officiosissimae matris bonorum exstitit altrix assidua, novorum dierum et mutui amoris paeconium et signum in christiana pace fiat ac redeat.

**

Nec minus anonymo nostro Badaionensi hodie gratulemur, qui nobis ostendit scire se ferculorum amorem cum poësi posse quoque apprime coniungi, quum Reuss nostri latinum carmen de pacis in bello administris in Hispanicam linguam conversum et per diarium quoddam civitatis suae editum ad nos pro sua humanitate miserit. Ut laboris aliquantum se reficiat, ei hunc **mensae ordinem** dicamus:

Furfurarii globuli.

Pisces, Labronensi more, madentes iuscculo.

Vitulinum pectus assum cum solanis tuberosis recentibus.

Acetaria ex parvis phaseolis, mentha saporatis.

Spira fermentata, persicis conferta ad caldam actis.

**

Francisculus noster, Fridiani, fratris natu maioris, vestigia sequentur, et ipse in publicum prodire constituit; quumque in Felicis Ramorini, clarissimi illius Florentini Athenaei doctoris, conspectu se dedisset, amplissimas commendatorias litteras reportavit, quae yitae iti-

nerique eius per orbem omnem valde fortunent! Sunt enim tenoris qui sequitur:

Narratiunculam tuam, cui titulus « Francisculi prandium », non solum uno tenore perlegi, sed ea admodum delectatus sum. Qui inest lepos ludusque, non is quidem scurrilis, sed urbanus maxime! Qua latinitate floret, non solum emendata, sed etiam venusta et vere plautina! Gratulor tibi quod lectores tuos tam lepide delectes simulque ad maiorum nostrorum castigatam latinitatem revoces. Sic omne profecto punctum tulisse merito dixeris. Perge, amice mi, latino sermoni strenuam, ut facis, operam navare: de rebus enim patriis, crede mihi, iocis tuis plus mereberis, quam magnifici quidam et magniloquentes homines ineptis iactationibus verbisque sesquipedalibus, quibus paene quotidie aures nostras obtundunt. Cura ut valeas. — Dabam Florentiae III Non. Ang. a. MCMXVI.

**

Locosa

Tuccii sapientia.

MAGISTER — Quid super capite tuo vides, quum apricaris?

TUCCIUS. — Caelum.

— Quando vero caelum pluviosum est?

— Umbellam, magister mi.

Tuccio ad pecten emendum sese accingenti, ac nutanti quodnam inter oblata seligat, venditor unum ex multis maxime commendat, quippe vere testudineum. Cui noster:

— Apage cum istis mendaciis; scio enim probe, hisce adminiculis testudines neque uti, nec unquam usas fuisse!

**

Aenigmata.

I.

Litera me pavit, nec quid sit litera novi.
In libris vixi, nec sum studiosior inde.
Exedi Musas, nihil hinc tamen ipsa reporto.

II.

(vulgo *Rebus*)**A** pera **S** tra **AS**

(Aenigmata in superiori numero proposita
his respondent: 1] *Repetita iuvant*; 2] *Su-*
bluviem odi). IOSFOR.

ROMA SACRA**Ex Congregatione S. Officii.**

*De indulgentiis a Tertiariis Saecularibus
Ordinis Minorum S. Francisci lucrandis.*

I. — Ecclesiae seu publica oratoria, quae
sint propria Tertii Ordinis Saecularis Fran-
ciscalis, gaudent Indulgentiis concessis cui-
libet ecclesiae et oratorio publico primi et
secundi Ordinis, nec non Tertii Ordinis
Regularis favore omnium fidelium, qui ea
loca certis diebus visitaverint.

II. — Fideles adscripti Tertio Ordini
S. Francisci lucrari possunt Indulgientias
directe concessas ecclesiis seu oratoriis primi,
secundi et tertii Ordinis Regularis, si loco
ipsorum visitent ecclesiam seu capellam in
qua sedes Sodalitii est constituta, quamvis
ecclesia seu capella ad Tertium Ordinem
proprie non pertineat.

III. — Tertiarii lucrari valent Indulgen-
tiam plenariam concessam visitantibus ec-
clesias primi Ordinis in commemoratione
omnium defunctorum, vel in die quo eadem
Commemoratio celebratur apud familiam
sùb cuius obedientia vivunt, vel in die quo
apud alias familias celebratur, idest semel
tantum in anno.

IV. — Indulta pro consequendis Indulgen-
tiis favore Tertiiorum infirmorum, im-
peditorum, etc., de quibus agitur in cap. V
Summarii approbati a Sacra Congregatione
Indulgientiarum die 11 Septembris 1901,
respiciunt non solum Indulgientias Tertio
Ordini Saeculari directe concessas, sed etiam
communicatas ex primo, secundo ac tertio
Ordine Regulari.

V. — Haec communicatio a Pio PP. X in-
dulta valet tam pro Indulgentiis ad ea usque
tempora concessis; quam pro illis quae in
posterum Ordini Franciscali concedentur.

(Ex deer. d. VIII mens. Iunii MCMXVI).

*De formulis precum Indulgentiis ditatis
non interpolandis.*

Formulae quaecumque precum, laudum,
invocationum et cetera, a Sancta Sede In-
dulgentiis ditatae, per quanlibet addictio-
nem, defractionem, interpolationem, conces-
sis Indulgentiis plane destituuntur.

(Ex deer. d. XXII mens. Iunii MCMXVI).

**Ex S. Congregatione S. Officii (Sect.
de Indulgentiis).**

*De benedictione et indulgentiis «Crucifixis»
pro militibus impertiendis hac belli vastitate
perseverante.*

Per decretum d. XI mens. Novembr.
MCMXV concessum est ut sacerdotes omnes,
qui militibus terra marive, hac perseverante
belli vastitate, spiritualibus exhibendis sub-
sidiis assistunt, valeant Crucifixos ex me-
tallo aliave solida materia confectos, unico
signo crucis benedicere, eisque indulgentias
applicare Pii Exercitiis, a S. Via Crucis
nuncupati, ab iis militibus, durante eodem
bello, lucrandas, qui aliquem ex praeditis
Crucifixis manu gerentes, quinques *Pater*
Are et *Gloria* devote recitaverint, ni vi-
ginti, alias praescribi solitas, eiusmodi prea-
ces recitare potuerint.

VIRTUS PRODIGA VITAE¹⁾

Marsya causidicos spectat iam praelia linguae
Incipere et vario redimiri flore paratur.
In tanto vitae fremitu ac rumore, forenses
Soli torpescunt misere aut talis comedunt rem.
Tum nova res visa est et opus mirabile dictu:
Egregius bello iuvenis clipeoque decorus,
Notus eques, clara propagine, fortis in hostem
Qui tulit externum multos legione triumphos,
Carus erat populo: nemo celebratior illo,
Prudens et patriae studiosus. Nomen avitum
Curtius, illustres meritis qui et laude parentes
Praestit. Hunc equitem melior fortuna manebat...
Namque ubi conspexit turbam prope limina fossae,
Adstantem tacite, larvas aut concipientem,
Audivitque sacri vatis responsa Suburae,
Consedit. Tunc ad populum conversus, ab ore
Flammeus ignitis oculis haec ultima fudit:
— Quid torpes luctu? tenet aut qui te pavor anceps?
Quid piger, heu! tardas tacitusque tueris hiatum?
Tantane te cepit priscarum oblitio rerum?
Antiqua et virtus potuit tabescere patrum
Sic misere? Romam ne tanta infamia laedat!
Quid virtute magis, quid enim pretiosius armis?
Haec patulae demus foveae divisque sacrentur...
Tunc erit Urbs domina oblato libamine nostrum
Firmior et gentes famam nomenque stupebunt.—
Sic fatus, patriae inferni se vovit et aris.
Haud procul exsurgit scintillans marmore templum,
Mitis ubi colitur numen Concordia. Flexis
Partibus, atque animis donata pace, Camillus
Exstruxit voto consecravitque superbum.
Huc acer tendit iuvenis moriturus. Anhelat
Cor, madet, exsultat totus, venis fremit intus:
— Accipite, aeterni patriique Dei, mea vota:
Si vestrum est opus haec tellus, si Roma futura est
Maior, et ulla dabit nec vis externa ruinam,
Sit vestri auxilii pignus mea vita sub umbris.
Tuque, Quirine Pater, vetricis conditor arcis,
Quam coetu assidue spectas mitissimus alto,
Da cives, nostro meliores sanguine facti,
Ut cursum teneant atque ad sublimia tendant.

(1) Cfr. num. sup.

Quod si quid Manes tristes meditentur acerbi,
In me convertant solum fraudemque resolvant...
Me Stygius linquentem auras iam gurges habebit.—
Tunc manus in caelum sustollitur: inde in hiatum
Vresa, diu minitans restat, distentus ut arcus.
Armis ornatur variis: caput est galeatum,
Squamifer et thorax, fulgescit iaspide ferrum.
Sic totus rutilus, sic totus pulcher in auro,
Apparet maior facie visuque verendus.
Inde et equum, effusis qui stat sublimis habenis,
Bellator, spumatque fremens, phaleris sine, Thracum
Ex oris vectus, bicolor, iam stragula cingit.
Insidet et calcar subdit mox Curtius. Aura
Alipedis fremitu resonat motuque iubarum.
Acer eques, cunctis adstantibus, impulit illum,
Effundens lora, et medium campi rapit. Inde
Praecepis, quo specus exstabat, se immittit in antrum.
Per scopulos deorsum, laterum salebrosaque saxa
Versatur corpus, donec sub gurgite lapsum
Procumbit, tremuere simul fora, vallis et ima...
Ut tremit et tellus, quem magno nubibus imbre
Iam rumpente madet: velluntur saxa, caduntque
Mixta luto et truncis montano culmine, secum
Terrorem et strepitum et duram spargentia mortem...
Fertur, collapso iuvenis mox corpore, lumen
Effulsisse iugis, Capitolia flammiger ales
Triplice per celsas auras scandisse volatu...
Tunc specus extemplo cumulatur, et horridum inane
Aufugit ex oculis divinitus. Obstupet amens
Plebs circum obtutu intento, sibi multa refertque:
Arma equitis, vim, procursum cum funere claro.
Audax namque heros, mortis discrimina spernens,
Ultro se dat morti pro patriis laribus, quos
Forti animo et dextra servavit victor et usque
Dilexit, sua postponens vel commoda. Mira
O patriae pietas, et rerum fertilis auctor
Magnarum! tibi iam victricis fronde revincta
Lauri, Roma suum splendorem et praemia debet!
Non etenim insignis scandisset culmina laudis
Sic rapide, et gentes totas orbis domuissest,
Imperio late extento, nisi mascula proles
Viribus et forti fulciret pectore terram.

(Ad proximum numerum).

MARCUS GALDI.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

Ann. III.

Romae, Idibus Octobribus MCMXVI

Fasc. X.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☰ ☱

AD POPULOS EUROPAEOS

Europa vecors, quo ruis impetu
Abrepta caeco? Quis furor impulit
Exercitus tantos parare,
Atque manus scelerare caede?

Imensus armis campus inhorruit!
Aestuque belli torva suburbia
Flagrant, et ingenti tumultu
Terra sonat, reboantque valles.

Galli, Britanni, Belgica natio,
Germanus et gens Itala dimicant;
Et Norici Thracesque pugnant,
Et Tanaim prope flumen orti.

Liquit colonus rura nitentia,
Dulces parentes, exiguum domum;
Natisque discedens tenellis
Oscula corde dedit micante!

Deliberato Marte viriliter
Longo resistunt ordine milites:
Stragem catervatim dedere
Iam gladii liquidumque plumbum.

Imber coruscans ferreus ingruit:
Nimbis phalanges in furialibus
Stant, dum globos tormenta iactant
Missilibus tonitruque plenos.

Ubique saevit vis fera glandium;
Densantur arvis funera tristia:
Pugnant, et ignotis repente
Mortibus intereunt manipli.

Immane monstrum iam quatit aethera,
Ac findit alis nubila grandibus;
Disseminat mortem per urbes:
Corda procul pavor inde stravit.

Iam currus altos ocior occupat
Hostes volatu; pugna fit aere:
At iam cadunt, ut vulneratae
Praecipitant aquilae ferores.

Tumultuosum transiliunt mare
Ex aere naves; fortiter occupant
Portus, et obsessas in arces
Fulmineos iaculantur ignes.

En mugientes fulminis aemulae
Moles in auras protinus emicant:
Mox hostium fractas carinas
Unda fretis rapit aestuosis.

Fluctu vehuntur foeda cadavera;
Hinc inde fortis exululant viri,
Et Patriae Regique dicunt,
Dum barathro pereant, salutem.

Sic damna, ruptis legibus, inferunt,
Ruuntque cuncti per vetitum nefas:
Sternuntur urbes atque vici,
Rustica tecta domusqnt Regum.

Immane monstrum destruit omnia
Bellum tumescens; nil reliqui facit:
Tentatur heu! letale quidquid
Ars hodierna docet vetusve.